

prioremque supra memoratum arcum, quatenus animadverti potuit, eodem quo antea modo sese habere observavi. At vero supra istum alius adhuc arcus conspiciebatur in altitudine graduum circiter 30, non autem ita continuus, verum quibusdam in locis fractus, neque ejus duo termini horizontem usque pertingebant. Horâ nonâ elapsâ cœpit superior arcus paulatim imminui & tandem evanescere. Inferior autem arcus constantior mansit, vergebat tamen paulatim, quamquam imperceptibiliter, Horizontem versus, quod cum fieret domum me contuli. Et cum ex Observatorio descenderem, nihil amplius de arcu videbam, quod horâ 10 accidit, aliquanto lucidius tamen adhuc cœlum Septentrionem versus, quam quidem in aliis locis, existebat.



XI.

G. G. L.

## Annotatio de Luce quam quidam Auroram Borealem vocant.

**A**cies in cœlo mense Augusto, Septembri & Octobri nocturno tempore visuntur, ita, ut diurna claritas ab oriente usque in septentrionem continuè fulserit, & columnæ sanguineæ ex ea discurrentes processerint. Ita Bertiniani Annales ad ann. 859.

Hinc discimus quid aliquando Historici per *Acies in cœlo visas* intelligant. Quod rutilum est, id credo *sanguineum* appellant scriptores. Hæc est claritas quædam borealis, quæ etiam nostris temporibus conspecta est, strias lucis ingentes subinde emittens.

Talem etiam lucem Borealem innuit Chronographus Saxo à me primum editus, ad Ann Dom. 993. his verbis:

In nocte natali S. Stephani protomartyris inauditum seculis vidimus miraculum, tantam videlicet lucem circa primum gallicinum ab aquilone effulsisse, ut plurimi dicerent diem oriri, stetit autem per unam pleniter horam, & postea rubente aliquantulum cœlo in solitum conversum est colorem.

Eadem pene verba habet Chronicon vetus Quedlinburgenſe (quod etiam edidi) ad annum eundem.

Cum ſimile quiddam ſpectarit *Petrus Gaſſendus* deſcripſeritque in ſuo de Philoſophia Epicuri opere p. 113 ſeq̄ & Excercitat in Flad- dum adject. 13. operæ præctium erit relationem ejus cum his conferri. Nunc ſuffecerit huc transferri quæ Libro Tertio vitæ Peireſkii hac de re per compendium habet.

Laborabat Peireſkius octavum jam diem dolore renum ac ſtran- guia, ſub cujus initium non potuit id prodigium perſpicere, quod non in ipsis modo caſtris, ſed Pariſiis etiam & per totam Galliam alibique viſum ſtuporem creavit. Claritas nempe inſignis fuit, quæ nocte ſequentē diem duodecimam [Septembris Anni 1621.] *Bore- alem* cœli faciem ita occupavit, ut *Auroram* clariffimam per mul- tas horas fuerit merita, id fanè mirum ſilente Luna, ſed mirabilius viſum eſt, vaporem ea regione fuſum, & ad polum uſque evectum, ſic fuiſſe diſtinctum in quasdā veluti cōlumnas albeſcentes & ſub obſcuras, alternatim ſitas; ut cum horizonti ad amuſim forent, promoverentur lentiffimè ab Oriente in Occidentem. Denique mi- raculo fuit ex albeſcentibus attonli, brevi ſpatio, ad verticem uſque pyramides quasdā ſive obeliſcos valde candidos; ipsisque conſi- ſtentibus, trajectos vapores, ut tenuiſſimos ita candidiſſimos; mo- tione adeo celeri, ut fulgetra imitarentur. Hæc attingo quia Peireſ- kius lætatus eſt rem fuiſſe nobis obſervatam, factusque exinde eſt cer- tior, nihil aliud fuiſſe quam naturæ luſum, quem apparatus bellicum aut ideam *exercitus* multi fuerant interpretati. Addiderant ſane non- nulli viſas ſibi inſtructas *acies*, incedentibus peditum equitumque or- dinibus; ac poſtremo viſum conſlictum, cum exploſione globulo- rum è tormentariis fiſtulis. Mirum quod non ſimul clangorem tuba- rum, clamoremque virū auditum deprædicaviſſent; quando ead- em credulitas infirmitasque humana eſt quæ his figmentis locum facit. Credibile omnino eſt, ſi non omnia, at bene multa quæ in hiſtoriis ſimilia extant, ex eadem eſſe origine, nec ampliorem fidem mereri,